longitudinis itineris: quidam enim faciliùs decem leucas perficient absque solutione jejunij, quàm alij quinque: quidam quinque, quàm alij tres. Undè ex longitudine itineris necessitas cibum sumendi, vel non servandi jejunium desumi non potest: sive enim debilitas vel fatigatio ab intrà veniat: sive ratione aëris, ut caloris nimij, pluviarum, tempestatum: sive ratione itineris prærupti, montosi, &c. quis minori etiam itinere fatigari potest, & à jejunio excusari.

Nota. 2. *Infero secundò*, Neque itineris excusationem desumi posse præcise à modo itinerandi, quòd quis equo, curru, vel pedes iter perficiat. Interdum enim equus tantum fatigat, quàm currus, & econtrà; imò aliqui pedestres minori incommodo ambulant, quàm si curru vel equo agitarentur: quin & navibus vecti aliquando ità ex aquarum spiritu magis concoquente deficiunt, ut ipsis cibus magis necessarius sit, quam si curru, vel etiam pedites ambulâssent.

Una ergò generalis mensura excusationis à jejunio est fatigatio, deficientia naturæ in itinere, & opere quocunque; ità ut quis sibi ipsi bonâ fide sit sincerus arbiter, & si sibi non possit satisfacere, credat viro bono & prudenti, maximè Confessario, cujus est de hoc judicare. Illa verò deficientia non tantùm attendi debet ut hîc & nunc, sed etiam in ordine ad alterum diem, vel prolixum iter, quod diebus pluribus continuandum est. Et hæc de jejunio sint dicta. De præceptis autem confessionis & communionis alibi à nobis latè tractatum est. De confessione quidem *Tom* 1. *Tract*. 4. *Tit*. 1. *Q*. 1. *&* 2. *& toto Tit*. 4. 5. 6. *&* 7. De communione autem *Tomo*. 2.

S C H E M A

Super Tractatu 12. de quinque Ecclesiæ præceptis.

Hoc Tractatu circa præcepta Ecclesiæ { Unicum traditur & examinatur, nimirùm { De Jejunio.
Cætera, quia alibi in his duobus Tomis plenè tractata sunt, ad sua loca reducuntur.

EPILOGVS AD LECTOREM BENEVOLVM.

EN (*Lector benevole*) navigationis nostræ portus & fida statio, ad quam huc usque laborando remigavimus: en nostri propositi promissique fructus qualiscunque: *Tribunal visibile animarum in hac vita mortali* Tomus primus fundavit, instruxitque: Codicem secundus scripsit: Si non ita acuratè, indulgendum homini non suo, sed obedientiæ impulsu in varias curas & itinera distracto, quamvis ad unum portum Deum destinato. Si lima defuit: plus substantiæ, etsi cum aliqua rubigine, remansit. Protestatus fueram in prologo Tomi primi: *Me interopere velle à citatione Auctorum abstinere*: propositum tenui, nam præter Scripturam, Concilia, & Summorum Pontificum decreta ac Patres, paucos Auctores citavi. Incongruum sine dubio videbitur multis: causam in principio dedi; quia rationes fundamentales magis utiles sunt, quàm opinantium dicta, vel minùs frequenter fundata auctoritas. Fœlicius enim rationes conscientiam stabiliunt, si in S. Scriptura, Concilijs Orthodoxis & Patribus fundantur: quid si minus gratum? Dico: necesse esse hoc tempore multis, avelli à lacte, abstrahi ab uberibus maternis: plurimi enim quasi modò geniti infantes lacte opinionum sibi faventium decepti, & ab uberibus antiquæ Evæ pendentes impegerunt in illud, et
Psal. 130. vers. 2. *Sicut ablactatus est super matre sua, ità retributio* ipsis facta sit *in anima* sua. *Quem* autem *docebit* Dominus *scientiam*? *& quem intelligere faciet auditum*? *Ablactatos* utique *à lacte, avulsos ab uberibus*. Nam & per eundem Prophetam
Isa. 28. vers. 9. mandat: *Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili*. Gavisi sunt namque innumeri in coinquinata opinionum, ut quemcunque fructum opinionis sibi blandientis decerperent, tanquam in regione desiderabili: non
Cap. 32. vers. 12. attendentes, quod: *Super humum populi Dei vepres ascendant, quantò magis super domos gaudij populi exultantis*? Hæc est causa, cur unicam semper prosecutus sum firmo passu sententiam, quam etsi norim Doctorum plurium fuisse, à quibus
Isai 32. vers. 13. & auditu, & diuturnâ lectione illam aliquando hausi: nolui tamen certitudinem sententiarum auctoritate dicentium prævalere, sed eorum scientiâ & doctrinâ, quæ in illis ut *splendor firmamenti* eluxit, *ad justitiam erudiens multos*: fulcire. Improbum etiam laborem me effugisse isto compendio mihi gratulor. Oportuisset utique me ad fontes ipsos &
Dan. 12. vers. 3. textum continuè recurrere, & cum male citantibus indefessè pugnare, & inutili labore me consumere. Dixero enim (salvâ multorum Auctorum reverentiâ) communiter vix ex decem aut viginti citationibus Auctorum duas vel tres per omnia fidas inveniri: ità ut casso conatu plures sæpè perdiderim horas, ut locum Auctoris a pluribus citatum reperirem. Addo: In favorabilem sæpè partem Doctores à nonnullis evocari, qui contrarium è diametro cursum tenent, aut in obliquam partem trajiciunt. *Secunda pars* propositi mei erat: *Declinare omnem disputationem*, hoc & facere studui, nè cum illo manus confererem. *Tertiam partem* non neglexi, ut nimirùm, *ab humana eloquentia phalerato stylo calamum subducerem*. In hoc ipso fortè nonnullis rudior & sterilis nimis, aut inconditus apparebo. Credidi tamen me sublimioribus illis ingenijs non loqui, sed indigentibus simplici ac morali scientiâ & stylo. Et in materia ipsa conscientiæ dirigendæ scivi plus prodesse res, quàm verba: cumque inre conscientiæ insipientibus me plùs debitorem agnoscerem, illorum intellectui scriptum meum commodum volui, non argutum. *Unum deest*: Quòd casus omnes explicare non potui, contentus eorum fontes denudare. Immensitati exercitationis hoc indulge, & aliquid tempori da, debitum agnosco, condonationem non peto, tantùm solutionis dilationem exigo, hac fide: *Tomum tertium*: *De peccatis omnium statuum infœlicis hujus orbis, spondeo, si faveat Deus*. Precibus, quisquis hæc legis, si non displicent, istud fiduciæ propositum adjuva. Restituet Tomus tertius, quidquid in his duobus defuerit, eritque tibi *Universi hominis speculum* ad maculas animæ fœliciùs abstergendas. Interim hos duos Tomos accipe, & si quid erratum aut minùs explicatum est, patientiam habe, donec omnia reddam tibi. *Regi autem sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria*, &
1. Tim 1. vers. 17. Ecclesiæ Orthodoxæ Catholicæ Romanæ obedientia & reverentia, quam illicem SS. P. N. *Francisco* sicut promisit, sic modo promitto & voveo, omnia & dicta & scripta mea ejus plenissimæ censuræ subijciens, prout & meipsum. Itâ me adjuvet Deus. *Amen*.

RESOLUTIONES NOTABILES VARIORVM CASUUM, ET QUÆSTIONUM PRACTICARUM A MVLTIS HACTENVS DESIDERATÆ.

AUCTORE
R. P. F. PETRO MARCHANT COVVINIENSI,
TOTIVS ORDINIS S. FRANCISCI ALIQVANDO DIFFINITORE GENERALI;
ET SVPER PROVINCIAS GERMANIÆ, BELGII, AC BRITANNICAS COMMISSARIO GENERALI;
S. THEOLOGIÆ LECTORE EMERITO.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXII.